

dam negabat, et eorum temeritatem, qui lapsis omnibus indiscriminatim propter quosdam libellos Martyrum pacem dabant; ut nempe nulli lapso negaretur venia, actâ tamen certa poenitentia.

Obiicitur Paciani auctoritas Barcinonensis Episcopi, qui sub finem quarti seculi floruit: qui in Paraenese ad Poenitentiam n. 4. tria capitalia delicta, idololatriam, homicidium, fornicationem iis significari censet, quae Apostoli ad Ecclesias scripserunt (Act. XV, 24. 25): Necessè est ut abstinere vos ab idolothytis et sanguine et fornicatione, post quae subdit: « Haec est novi Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus S. haec nobis capitalis periculi conditione legavit. Reliqua peccata meliorum operum compensatione curantur, haec vero tria crimina, ut basilisci alicuius afflatus, ut veneni calix, ut lethalis arundo, metuenda sunt, non enim vitare animam, sed intercipere noverunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, convivium satisfactione pensabitur, tristitia iucunditate, asperitas lenitate, gravitate levitas, honestate perversitas, et quaecumque contrariis emendata proficiunt. Quid vero faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Numquid aut placare Deum desertor ipsius poterit, aut conservare sanguinem suum qui fudit alienum, aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia. Nunc audite Ioannem, et confidite, si potestis ». Refert verba de peccato ad mortem. « Haec (subdit post pauca) quicumque post fidem fecerit, non videbit faciem Dei... quid quaeritis vera solatia? tunc decuit cum licebat. Dura ista vox est, sed qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt ».

Respondemus primo incredibile esse quod catholicus episcopus labente seculo 4^o post proscriptionem novatianam haeresim, ac relaxatum ex parte rigorem poenitentiae docuerit haec tria delicta post baptismum esse irremissibilia, et quidem non solum ab Ecclesia, sed etiam a Deo. Nam haec non facit mentionem Ecclesiae, sed simpliciter dicit haec crimina compensari non posse; nihil posse facere contemptorem Dei, nihil sanguinarium etc. Si ergo haec fundunt hunc sensum ut peccata haec nunquam remittantur, non speranda sit eorum venia; non de sola remissione, quae fiat per Ecclesiae claves, sed simpliciter de remissione apud Deum intelligenda sunt: quod tamen nec Novatiani ausi sunt affirmare. Rursus incredibile est Episcopum in Sermone, in quo oves sibi creditas ad poenitentiam hortatur, tot velle e contrario in desperationis barathrum coniicere.

Et sane alia est prorsus sententia Paciani. Distinguit scilicet crimina in duas classes, « ne quis, (ut ipse ait n. 2), existimet omnibus omnino peccatis summum discrimen impositum »: h. e. in ea quae

meliorum operum compensatione curantur, ut audivimus ab ipso, quin opus scilicet sit remedio publicae et sollemnis poenitentiae; et in ea quae *poenitentiae* indigent remedio. Haec quidem oratorie exaggerat ad eorum malitiam patefaciendam; at poenitentia expiari posse et debere, clare docet sequentibus. Ait enim n. 6. « Ergo, inquiet aliquis, perituri sumus? et ubi misericors Deus, qui mortem non invenit nec laetatur in perditione vivorum (Sap. I, 13)? moriemur ne in peccatis nostris? et quid facies tu sacerdos? quibus emolumentis tot Ecclesiae detrimenta pensabis? » Respondet his Pacianus: « accipite remedium, si desperare cepistis, si miseros vos agnoscitis, si timetis. Vos ergo primum appello fratres, qui criminibus admissis poenitentiam recusatis etc. »: pergens hortari ad poenitentiam. Iam vero haec dicuntur iis, ut ex immediato contextu patet, qui interrogaverant an perituri essent, iique sunt, qui aliquod ex illis tribus criminibus admiserant; cum praesertim pro aliis criminibus curandis non poenitentiam, sed meliorum operum compensationem Pacianus proposuerit. Non recte ergo Pacianum interpretatus est Petavius in diatriba *de Poenitentiae vetere in Ecclesia ratione*.

Quod hactenus in his duabus quaestionibus conclusimus argumentis historicis, volumus nunc argumento theologico contra adversarios catholicos demonstrare. Scilicet si Ecclesia veniam negavit idololatri, moechis, homicidis etiam poenitentibus et quantumvis poenitentibus, ea vel ab enormi inobedientia erga Christi legem, vel ab errore in fide nequit liberari: atqui id absurdum; ergo. Sane dogma fidei non est tantum potestas facta Ecclesiae remittendi quodlibet peccatum, quod dogma in opinione, quam impugnamus, maneret in tuto, sed dogma est quoque (quod infra demonstrabimus) necessitas exercitii potestatis huius ut assequantur fideles remissionem peccatorum; ita ut nisi solvat Ecclesia, peccata a Deo perpetuo retineantur. Hoc posito quaerimus: Ecclesia primo et altero seculo noverat id an ignorabat? Si noverat, noverat profecto simul obligationem sibi inesse potestatem exercendi cum debitae conditiones adessent: neque enim pro se sed pro aliis potestatem acceperunt Ecclesiae pastores. Conditiones vero non alias Ecclesia postulare poterat quam quae possibiles sint hominibus in hac vita, quibus Deus veniam voluit semper paratam esse: cur ergo Ecclesia poenitentibus et maxime poenitentibus veniam negabat? an putabat fieri per gratiam Dei non posse ut illi homines vere converterentur et poenitentiam agerent? id quidem haereticum fuisset: sed constat Ecclesiam id non putasse iuxta ipsos adversarios, quia censebat a Deo posse hos peccatores veniam consequi, quod sine vera poenitentia fieri nequit. Si ergo Ecclesia noverat necessitatem usus potestatis clavium pro

obtinenda venia peccatorum, enormiter in damnum fidelium abusa fuisset sua potestate, negando etiam rite eam postulantibus absolutionem. Si autem dicas ignorasse hanc necessitatem Ecclesiam; adverte quod cum res ageretur in quotidiana praxi sita, moraliter impossibile erat quod non occurreret pastoribus Ecclesiae haec quaestio: exercitium meae potestatis est ne necessarium? quod cum negari non posset, restat ut haec veritas clara semper fuerit et certa in Ecclesia. Sane ad hanc praxim negandae absolutionis, si serio fiebat, aliquod iudicium mentis praevertere oportebat, quod eam regeret; hinc dici nequit quod exstiterit solum defectus iudicii huius: *exercitium scilicet huius potestatis est necessarium*, sed oportuit esse iudicium positivum, quod solum poterat esse ratio huius continuatae negationis seu ratio cur censeret Ecclesia se bene agere in tali administratione Sacramenti, quod iudicium debebat esse hoc: *exercitium meae potestatis non est necessarium*, quod haereticum est. Quod quis Ecclesiae tribuet? Ratum sit ergo et fixum nunquam negasse Ecclesiam cuilibet peccatori rite poenitenti veniam.

Quocirca, si factum hoc demonstraretur negatam fuisse olim ab Ecclesia quibusdam criminibus veniam, consequens colligendum ex ea demonstratione istud unice foret: nimirum veniam et remissionem de qua agebatur, non fuisse absolutionem a culpa coram Deo, sed fuisse remissionem totius poenae, sive, quod nunc dicimus, indulgentiam plenariam, quae poenitentia praescripta functis dabatur, quae tamen pro certis criminibus negata fuisset ab Ecclesia, impetranda tantum a Deo: qua in re suo iure usa esset Ecclesia.

c) *Relapsis in crimina post sollemnem poenitentiam non negabatur ab Ecclesia venia.* Est contra Morinum L. V. c. 27 seqq. cui consentit Petavius in diatriba citata. Advertendum est poenitentiam sollemnem non nisi una vice peragere concessum fuisse: « Sicut unum baptisma, ita una poenitentia, quae tamen publice agitur; nam quotidiani nos decet poenitere peccati: sed haec delictorum leviorum, illa graviorum »: ait Ambrosius de Poenit. L. II, c. 10. Idemque testatur Augustinus epist. CLIII. ad Macedonium, n. 7. « Eis, qui post actam poenitentiam, post altaris reconciliationem, similia vel graviora committant, in Ecclesia locus humillimae poenitentiae non conceditur ». Cuius rei rationem reddit ibidem: « Cautè salubriterque provisum est ut locus illius humillimae poenitentiae semel in Ecclesia concedatur (nota obiter, poenitentiam fuisse beneficium quod concedebatur), ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit ». Illa itaque poenitentia humillima semel tantum concedebatur. Non ergo omnis poenitentia relapsis negabatur, sed

sola poenitentia sollemnis relapsis in similia vel graviora crimina, pro quibus scilicet poenitentia sollemnis agenda esset, ut rite distinguit Ambrosius. Duplicis quoque poenitentiae, sollemnis nimirum, ac privatae meminit auctor sermonis dubii inter augustinianos (258 in Appendice) inquit: « sed forte est aliquis qui dicat: ego in militia positus sum, uxorem habeo, et ideo poenitentiam quomodo agere possum? Quasi nos quando poenitentiam suademus, hoc dicamus ut unusquisque magis sibi capillos studeat auferre et non peccata dimittere, et vestimenta potius evellat quam mores ».

Sed profecto aliud est negare veniam, aliud negare poenitentiae sollemnis vel publicae usum, quemadmodum non erat idem veniam poenitenti dare, et poenitentiam publicam imponere, eaque peracta absolvere. Nam venia omnibus peccatis dabatur, poenitentia vero publica non nisi pro certis criminibus statuta erat; ideoque distingui poterant, et frequenter distincta erant haec duo, venia peccati et poenitentia publica: hac proinde secunda vice negata, relapsis reliqua erat venia, quae a ceteris peccatoribus obtineri poterat sine publica poenitentia.

Et re quidem vera, si negabatur venia pro peccatis admissis post sollemnem poenitentiam, vel id ex eo erat quod deesset potestas remittendi crimina relapsis, vel quod necessarium medium pro obtinenda remissione credebatur poenitentia sollemnis aut publica, vel quod credebatur non posse vere poenitere eos, qui rursus peccassent. Atqui primum est evidenter falsum: secundum tum se ipsum destruit; nam si id creditum fuisset, fuisset et pluries concessus locus humillimae poenitentiae, tum falsum est, quia non omnibus peccatoribus, nec omnibus delictis dabatur ea poenitentia: tertium absurdum est: ergo.

Et sane ipsum argumentum, quod ultimo loco attulimus in praecedente quaestione, demonstrat fieri non potuisse ut Ecclesia veniam negaverit quantumvis relapsis, dummodo eos vere peccatorum poenituisset, cum ipsa certe crederet posse se quaelibet crimina quantumvis iterata remittere.

Huc forte spectat quod habet auctor libri de vera et falsa poenitentia c. 5. inquit: « Adhuc instant perfidi, qui sapiunt plusquam oportet, non sobrii, sed excedentes mensuram. Dicunt enim: etsi semel peccantibus post baptismum valeat poenitentia, non tamen saepe peccantibus proderit iterata: alioquin remissio ad peccatum esset incitatio... Errant autem... Videmus adhuc quotidie in Ecclesia saepe febricitantes, saepe languidos, saepe passionibus captos saepe liberari, ut appareat toties opus miserentis, quoties confessio fit poenitentis ».

Dices cum Petavio (ibid.): ergo erat melior conditio relabentis, quam primo labentis.

Respondeo: 1) Haec non iudaice spectanda esse, sed christiane. Poenitentia publica non erat poena aliqua, qua in vindictam criminis etiam invitus plecteretur; sed erat reapse beneficium, quod petendum erat et non nisi petentibus concedebatur, eaque functis ab Ecclesia non solius culpa sed totius quoque poenae remissio concedebatur. Qui vero eam poenitentiam sollemnem meruissent nec petebant, removebantur certe a Sacramento altaris participando, et a consessu fidelium in Ecclesia, nam et ipsi poenitentes ab his arcebantur: quae est excommunicatio quaedam, qua adigebantur peccatores ad petendam poenitentiam ut tandem cum Ecclesia et Deo reconciliarentur. De qua excommunicatione loquens Aug. epist. CVIII. ad Seleucianum ait: « Agunt homines poenitentiam, si post baptismum ita peccaverint, ut *excommunicari* et postea reconciliari mereantur, sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi, qui proprie poenitentes appellantur ». Et auctor Serm. 261. in Appendice oper. Augustini: « Qui poenitentiam petit, excommunicari se supplicat. Ideo enim se excommunicari rogat, quia ad percipiendam Eucharistiam Domini indignum esse se iudicat ». Erat autem poenitentia sollemnis medium maxime idoneum ad satisfaciendum Deo, et reconciliationem cum eo assequendam. Si ergo animae negotium spectetur, falsum est fuisse in meliore conditione relabentes, quam primo labentes. Graves autem rationes esse poterant cur poenitentia publica non sineretur iterari, nimirum, ut Augustinus ait, ne frequentia sua vilesceret; et quia reapse opus erat longum (si saltem ratio habeatur legis scriptae; quoad praxim enim, fere totum in arbitrio Episcopi positum erat), laboriosum, plurima exigens, quae difficile ab omnibus nec saepius generatim praestari possent.

Respondeo 2) poenam exstitisse saltem a fine quarti seculi vere duriolem pro relapsis in eadem crimina, pro quibus poenitentiam sollemnem egerant, nempe perpetuam privationem Eucharisticae communionis, citra articulum mortis. Haec enim habet Romanus Pontifex Siricius ad Himerium Tarraconensem. « De his vero non incongrue Dilectio tua Apostolicam Sedem credidit consulendam, qui acta poenitentia tanquam canes et sues ad vomitus pristinos et ad volutabra redeuntes et militiae cingulum et ludicras voluptates et nova coniugia et inhibitos appetivere concubitus, quorum professam incontinentiam generati post absolutionem filii prodiderunt. De quibus, quia suffragium non habent poenitendi, id duximus decernendum, ut sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur. Sacrae mysteriorum celebritati, quamvis non mereantur, intersint, a Domi-

nicae autem mensae convivio segregentur; ut hac saltem distinctione correpti, et ipsi in se sua errata castigent, et aliis exemplum tribuant, quatenus ab obscoenis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen, quoniam carnali fragilitate ceciderunt, viatici munere, cum ad Dominum ceperint proficisci, per communionis gratiam volumus subveniri ». Ex quo testimonio aliud quoque habes, haec duo coniungi consuevisse negationem publicae poenitentiae et concessionem veniae; nam haec in exitu saltem dabatur. Imo colligi potest datam fuisse etiam prius; etenim Siricius mentionem faciens eius poenae, qua correpti ad castiganda in se ipsis sua crimina, ad se emendandos provocabantur, satis indicat eam tantum segregatione a Dominica mensa contentam fuisse: secreta ergo absolutio dabatur. Certe, si negandam censuisset in vita absolutionem, id docuisset eum, qui quid faciendum esset sciscitabatur.

Aetate vero praecedente vel eadem poena, quam Hispanis significavit Siricius (cf. can. 3. Conc. Illib. citatum pag. 87), vel alia nobis ignota (neque enim omnia novimus), sive lege statuta, sive permissa arbitrio illius, qui confessiones excipiebat, huiusmodi relapsis adhibebatur.

d) Neque clericis peccantibus negata fuit ab Ecclesia remissio peccatorum. Lex erat quidem Ecclesiae prohibens ne Clerici publicam agerent poenitentiam, non tamen eosdem repellens a beneficio remissionis peccatorum. Sane Leo Magnus Epist. ad Rusticum Episcopum Narbonensem c. 2. ait: « Alienum est a consuetudine ecclesiastica ut qui in presbyterali honore aut in diaconi gradu fuerint consecrati, pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant poenitendi, quod sine dubio ex Apostolica Traditione (1) descendit, secundum quod scriptum est: Sacerdos si peccaverit, quis orabit pro illo? (Nimirum cum in poenitentia publica fideles et potissimum Sacerdotes imponentes manum orarent pro poenitentibus eorum orationes flagitantibus, non videretur autem decere Sacerdotem, qui pro aliis ex officio tanquam mediator Deum

(1) Appellans s. Leo Apostolicam Traditionem, docere videtur id semper in Ecclesia servatum fuisse. Idque in Ecclesia Romana et universa generatim Ecclesia valuisse arbitramur. Id tamen non impedit quominus in aliquibus Ecclesiis ad rigorem propensis, ex certis causis, alius aliquando, prioribus quoque seculis, mos fuerit. Huc forte facit Canon. 76. Concilii Illiberitani et canon 1. Concilii Neocesariensis et quod de Victore quondam (al. quodam) presbytero narrat Cyprianus epis. ad Fidum; quae omnia natalis collegit Diss. XI. ad seculum III. Concl. 3^a. Clericos certe depositos reiectos fuisse quoque ad statum poenitentium multis in Ecclesiis probat Morinus Exercitationum L. II. exercit. 20: neque id adversatur proprie Leoni, qui de clericis loquitur, ut apparet, in suis ordinibus manentibus.

inter et homines orare debet, aliorum orationes in publico Ecclesiae conventu postulare, quod et illud Scripturae testimonium suadet, statuerunt Apostoli, ne Sacerdotes publice poenitentiam agerent). Unde huiusmodi lapsis ad promerendam misericordiam Dei privata est expetenda secessio, ubi illis satisfactio, si fuerit condigna, sit etiam fructuosa ». Vides hic non negari simpliciter poenitentiam clericis, sed eam, quae per manus impositionem accipiebatur, quaeque privatae opponitur. Remedium vero poenitentiae, quod dabatur ritu impositionis manus, erat publicum, quod postea in feria quarta cinerum inchoari consueverat.

Quod de presbyteris et diaconis affirmat Leo, ad universos clericos extendit Siricius Epist. ad Himerium « Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut poenitentiam agere cuiquam non conceditur clericorum; ita et post poenitentiam et reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem clericatus adipisci ». Contendit Natalis Diss. citata Concl. I. Decretum hoc Siricii de solis clericis maioribus esse accipiendum, propter aliud decretum subsequente seculo a Felice III latum, quo etiam Clericis minoribus poenitentia indicitur. Quod si ipsis poenitentia concedebatur, nulla quaestio est circa eosdem, an nimirum iis lapsis in peccata venia concederetur. Quaestio proinde erit tantum quoad Clericos maiores.

Iam vero quod clericis, qui prohibiti sunt a poenitentia publica, non sit negata venia poenitentibus per absolutionem secretam, liquet 1) ex eo quod exceptio huiusmodi ab universali regula, quae omnibus poenitentibus promittit veniam per Ecclesiae claves, a nemine antiquo significatur; quod enim afferri potest, probat tantum clericos interdictos fuisse a poenitentia publica; 2) liquet ex eo quod haec exceptio est evidenter opposita intentioni Christi instituentis Sacramentum reconciliationis pro quolibet fidei. Liquet 3) ex eo quod alia poena puniri solent Clerici graviter delinquentes, nempe depositione seu degradatione; 4) clerici autem depositi redigebatur ad communionem laicam; qua re nihil frequentius in antiquis canonibus. Redacti autem ad communionem laicam poterant cum laicis de Eucharistiae mensa participare; atqui qui ius ad hoc habebat, ius quoque ad absolutionem peccatorum habebat; ergo. Et de his quaestionibus historicis modo satis.

THESIS X.

Ex verbis Christi conferentis potestatem remittendi simul et retinendi peccata, atque ex Ecclesiae antiquae sensu et praxi constat necesse esse ut fideles peccatores ad obtinendam lethaliū criminum veniam coram Deo, clavium potestati se subiciant.

I. Duplex necessitas in hac re distingui debet, hypothetica, absoluta. Nimirum cum quaeritur utrum necessaria sit subiectio fidei clavibus pro obtinenda reconciliatione cum Deo, respondetur primo eam esse necessariam, si quis uti velit beneficio potestatis clavium, quae exerceri non potest sine hac subiectione poenitentis. Verum restat alia quaestio, nempe: estne necesse ad obtinendam remissionem peccatorum uti hoc beneficio, et idcirco se subicere huic potestati? cui quaestioni rursus affirmative respondendum est. Liqueat priorem esse necessitatem hypotheticam, alteram absolutam. Porro in hac quaestione, in qua de indole potestatis collatae a Christo disputamus, loquimur de altera necessitate, quae est absoluta.

Sane perpendamus verba Christi iam citata. Vidimus iis verbis *quaecumque solveritis, quaecumque ligaveritis, quorum remisieritis peccata, quorum retinueritis*, collatam esse a Christo potestatem aliquam, cuius actus esset *solvere et remittere, ligare et retinere*. Quid est porro retentio peccati ex potestate facta? Si spectes physice, ipsa est per se aliquid negativum, h. e. negatio absolutionis; at si spectes *iuridice*, ipsa est aliquid positivum, vel ei aequivalens: est enim, ut loquitur Trid. Synodus Sess. XIV. cap. 5. *sententia retentionis*. Sane exercitium est, eo modo quo fieri potest, potestatis a Deo collatae: negatur scilicet remissio ab eo qui potest eam dare, quia non vult eam dare. Porro *effectus iuridicus* denegatae remissionis est peccatum ita manere ut eo manente maneat obligatio poenitentis se subiciendi eidem potestati pro consequenda remissione: *effectus* vero *iuridicus* ipsius potestatis denegandi remissionem is est ut haec obligatio exsistat statim ab admissio peccato.

Haec declaranda et probanda sunt. Probandum est scilicet quod ille, quem diximus, sit effectus iuridicus et negatae absolutionis et praeterea potestatis negandae absolutionis: quod quidem accurate, probandum est; idcirco veluti per gradus quosdam demonstratio procedet.

II. Sic ergo ratiocinamur. a) Talis est institutio Christi ut peccata hominis, qui iam se subiecit clavium potestati, non remittantur